In Christi nomine et eius gratia Amen. Noverint universi quod nos Arnaldus Garí sedacerius et Maria eius
uxor vicini et habitatores ville Montissoni. Attendentes quod tractatur matrimonium inter te Johannem Garí fi
lium nostrum comunem et carnalem et Mariam puellam filiam comunem et carnalem Roderici d'Aguy
lar et Marie eiusdem Roderici uxoris vicinorum et habitatorum dicte ville Montissoni et Deo dante veniet ad bonum et
debitum finem. Ideo de certis sciencijs nostris cum hoc presenti publico instrumento in iudicio et extra et ubique fir
miter valituro damus et concedimus tibi pro omni parte tibi pertinente et pertinere debente in bonis nostris et cuiuslibet nostrum
iure legitime et quovis alio iure videlicet Trecentos solidos iaccenses quos promittimus et convenimus tradere et libera
re ac solvere realiter et de facto tibi dicto Johanni in solucionibus et tandis sive terminis subscriptis scilicet Cen
tum solidos nunc de presenti et restantes Ducentos solidos infra duos annos continuos proxime ventos et a die
presenti quo presens conficitur instrumentum inantea inmediate et continue numerados et sequturos. Et nos
Rodericus d'Aguylar et Maria eiusdem Roderici uxor de certis sciencijs nostris damus et concedimus vobis Joha
nni Garí filio comuni dictorum Arnaldi Garí sedacerii et Marie coniugum Mariam puellam filiam comunem nostram
dictorum Roderici d'Aguylar et Marie coniugum legitime in uxorem prout in dei ecclesia est constitutum et ordinatum
et beati apostoli Petrus et Paulus affirmant dicentes quos deus coniunxit nemo separet. Et damus et concedimus
vobis simul cum ea Quadringentos solidos iaccenses quos damus et concedimus dicte filie nostre pro omni parte ei perti
nente et pertinere debente in bonis nostris et cuiuslibet nostrum iure legitime et quovis alio iure. Et dictos Quadrin
gentos solidos promittimus et convenimus tradere et liberare ac solvere realiter et de facto vobis in solucionibus et
tandis sive terminis subscriptis scilicet Centum solidos nunc de presenti et restantes Trecentos solidos infra duos
annos continuos a die presenti quo presens conficitur instrumentum inantea inmediate et continue numerados et sequturos.
Item promittimus et convenimus dare tradere et liberare vobis dicto Johanni unum lectum de raubis condecentibus arena
tum. Et ego dicta Maria filia comunis dictorum Roderici d'Aguylar et Marie coniugum trado me ipsam vobis dicto Johanni
Garí filio comuni dictorum Arnaldi Garí et Marie eiusdem Arnaldi uxoris legitime in uxorem recipies vos in virum
legitimum prout in dei ecclesia est constitutum et ordinatum et beati apostoli Petrus et Paulus affirmant dicentes quos
deus coniunxit nemo separet. Et trado me vobis simul cum omnibus dictis bonis per dictos parentes meos michi datis.
Et ego dictus Johannes Garí filius dictorum Arnaldi Garí et Marie coniugum recipio vos dictam Mariam filiam comunem
dictorum Roderici d'Aguylar et Marie coniugum legitime in uxorem et trado me ipsum vobis in virum legitimum prout
in dei ecclesia est constitutum et ordinatum et beati apostoli Petrus et Paulus affirmant dicentes quos deus coniun
xit nemo separet. Et nos Arnaldus Garí et Maria eius uxor et Rodericus d'Aguylar et Maria eius uxor iam
dicti omnes iuramus et quilibet nostrum iurat ad dominum deum et eius sancta quatuor evangelia et crucem domini
nostri Jhesu Christi coram nobis et uno quoque nostrum posita et ostensa et per nos et quilibet nostrum nostris
et cuiuslibet nostrum proprijs manibus corporaliter et libenter tacta tenere attendere servare firmiter et complere
predicta omnia et quodlibet eorum. Et nichilominus pro eisdem tenendis attendendis servandis et complendis obligamus omnia et
singula bona nostra et cuiuslibet nostrum mobilia et sedentia ubique habita et habenda. Actum est hoc in
villa Montissoni decima die mensis Marcij Anno a Nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Tri
cesimo primo. Testes huius rei sunt venerabiles Jacobus Bayuli alias Sagas et Ffranciscus Gomban vi
cini et habitatores dicte ville Montissoni.

Sig—num mei Bertrandi Vyger habitatoris et notarij publici ville Montissoni et auctoritate Regia generalis
per totam terram et dominacionem domini Regis Aragonum qui premissis interfui et hoc instrumentum recepi
et scripsi et clausi.

Dotacion Matr
monial

132/147